Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26021
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ad templum quasi in arcem confugientes. uelut castrum quoddam sibi construe-
runt ad repellendam irruentis populi multitudinem. ac primo ante
fores templi. atque in ipso uestibulo siti aduersum populum proeliabantur.
Si quis uulneratus fuerat, interiora templi petebat. illic sanguinem suum in-
fundens interno limini. et cruenta pauimentis. saucior deter-
gens ulcera fibrasque patentes eius uestibus his quas non liceret illis con-
tingere sarciebant. Bellum erat inter urbem. bellum inter ciues. bellum
ante templum. Ne hoc quidem reueriti latrones. cum a populo instan-
tius purgerentur. inter ipsum templum sese receperunt. et clausere ilico
fores. Quo obiectu reuocatus ananus. ne uideretur templo bellum
inferre. et sacratas religioni maiorum perrumpere fores. reflexit
impetum plebis. et sex milia uirorum in porticibus constituit. qui muniti armis
praetenderent. sollicitam adhibentes custodiam. Paulatim tamen emol-
liuit animum. ut paci consuleret. eo studio maxime ne templum
sanguis ciuium contaminaret. suaderetque mittendam legationem
pacis sequestram. ut bellum intestinum deponeretur. Adsciscitur iohannes ad
sequendam legationem. suspectae fidei uir. et affectandae potentiae
succensus cupiditate. Sacramentum petitur non abnuit. ne dampnum
periurii pateretur si negauisset. Simulabat se plebi fauere. ut eccum
scēberet. Quid plura. Egit de pace pauca praemittit plura subtexit ad
belli incentiuum. dicens nomine pacis bellum inuolutum. latere insi-
dias. parauisse insidias ananum. romanis urbem tradere. quo sollem-
nitas ueterum dissolueretur. legis abrogarentur praecepta. componens
e diuerso omnia. atque inuidia in principem sacerdotum referens. eorum quae
ipse meditaretur callida. etiam quos sciebat illorum qui conclusi fuerant esse
praesules et factionis principes. incitabat paratae mortis formidine
asserens quod specialiter ipsis ananus exitium composuisset. uenisse
se ut fraudem manifestaret. mature subsidia querenda. priusquam
ab eis pena reposceretur. Quid plura. Pacis medius. bellum accendit.
Eligunt qui idumeos ad praelium rogent. genus mobile. inquietum.